

3+4/85

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 52

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

| | |
|--------------------------------|------------|
| In Helvetia | Fr. 14.-- |
| In Germania | DM 20.-- |
| In Austria | öS 140.-- |
| In ceteris Europae terris | Fr. 20.-- |
| In terris trans maria sitis | US\$ 18.-- |

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

| | |
|----------------|------------|
| Schweiz | Fr. 14.-- |
| Deutschland | DM 20.-- |
| Oesterreich | öS 140.-- |
| übriges Europa | Fr. 20.-- |
| Uebersee | US\$ 18.-- |

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Die II^o Martii socii operis Rumorem Varium curantes
convenimus Turici in aedes AKADis, ut sessiunculam nostram
annuam iniremus. Cuius in prima parte varia tractavimus,
quae ad futuros libellos Rumoris Varii edendos pertinent,
e.g. rationes, quibus singuli fasciculi symbolis domo
editoria missis compleantur, quibus sequendis omnis fasci-
culus facilius lectu fiat; deinde quaestiones aggressi
sumus de modo maxime idoneo, quo maior numerus amicorum
Rumori Vario conciliari possit. Hic conventus - ut iam
praeteritis annis habiti - vere laetus secundusque evenit,
non modo eius pars prima, sed etiam secunda, quam iniimus
in deversorium proxime situm transgredientes, ut animos
sessione in aedibus AKADis habita delassatos potu vini vel
aquae mineralis restitueremus. Hic omnes, qui aderam -
Dr. Emanuel Bernard Rüschnikonensis, Dr. Guarnerius Fride-
ricus Ebel Berolinensis, Dr. Georges Durtschi scholae
"AKAD" nuncupatae rector Maurensis, Danielis Weissmann
Martinusque Meier Bernenses, quos omnes ad conventum
invitaveram (reliqui socii operis aberant sive aegrotantes
sive aliis muneribus urgentibus prohibiti) - experiebamur
quanta vi amor Latinitatis amicitiam inter homines e variis
regionibus Europae congressos ampliorem et certiorefficiat.

Valete!

U. Aeschlimann
Udalricus Aeschlimann

De feriis cum catulo actis

Duobus mensibus ante dulcis mea coniunx catulum (Hündchen) emerat pauperulum et mire deformem, naso obtuso (stumpf), vultu rugarum (Runzeln) pleno, cruribus distortis (krummen), at pectore largo et robusto, animoque dulcissimo. Quem catulum quicumque conspexit, misericordia eius capitur vel risum tenere nequit. Ego contra stomachor et aegre fero, quod coniunx catulum istum emit, ut qui totum diem non minimam nobis afferat curam ac molestiam, cacans vel vomitans hic et illic, saepe etiam mussitans (knurren) insciis nobis, cur mussitet. Praeterea quocumque passus facimus, nos confestim sequitur, cum sola numquam possit esse, et cum aliquando vel parumper (kurze Zeit) in conclave (Raum) aliquod includitur, horrendum ingemescit tamquam humana voce uteretur, ita ut misereat nos neque iam eum includere audeamus.

Attamen unum me commodum putabam nactum esse sperans fore, ut coniunx catuli causa impediatur posthac, quominus feriarum tempore longinquas terras petat, ut adhuc fecerat. Sperabam eam denique coactum iri, ut domi maneret. At heu me miserum! Spe illa deiectus sum! Namque coniunx, quippe quae nulla re impediatur, quin longinquo loco ferias agat, nuper mihi laeto animo aperuit catulum sine ullo negotio nos, quocumque iter faceremus, comitari posse sive autocineta sive aeroplano usos neque ullum deversorium (Hotel) esse in terris, quod non admittat catulum tam suavem.

Cari legentes, ut intellegatis, quae dicam, opus est confitear me semper domi manere malle quam in longinquis terris ferias agere. Sed meae voluntati unum obstat. Etenim cum uxor iter facit (et saepe facit), ego eam comitari cogor, quia me solum domi manere non patitur. Itaque, ut adhuc, uxor mihi porro comitanda erit, quocumque iter factura est ad ferias agendas. Sed de hac re sapienti sat!

Nunc vobis narraturus sum de feriis proximis, quas mense Februario per quindecim dies in insulis Canariis egimus.

Die septimo mensis ad aëroportum Turicensem nos contulimus una cum catula scilicet. Illic autem domnula functionaria, quae aëroviatores curat, me interrogavit: "Habesne schedulam testificantem bonam valetudinem catuli (Arztzeugnis für den Hund)?" - "Non habeo", respondi.

"Non habes? Sed res cum ita sint, catulus ad terras Hispanicas non admittetur. Ergo catulus hic relinquendus est."

"Quid dicis? Catulum relinquendum esse? Iocari videris, domnula mi! Lepidissima profecto es. An re vera putas nos avolare posse catulo hic in aëroportu relicto?"

"Doleo", dixit, "sed ad aëroplanum admitti non potest". Tum ego uxori meae: "Vola, inquam, sola! Ego triduo post te sequar. Interim cum catulo veterinarium (Tierarzt) consulam, ut mihi schedulam illam comparet." Tristes, paene lacrimantes discessimus.


Medico consulto, schedula obtenta, capso etiam (capsus, -i = Käfig) comparato, quo catulus includendus esset, (namque canes per aëra vehi non licet) triduo post, ut dixeram, ad aëroportum una cum catulo me contuli, ubi paulo post capsus cum catulo translatus est in conclave sarcinis per aëra transvehendis (Gepäckraum). Tum ipse aëroplanum conscendi et avolavi, semper timens et anxius, ne catulus dulcis nimis doleret, ut a me desertus et infra me conclavi inclusus, ubi certo sine spe esset uxorem meam vel me ipsum umquam iterum videndi; namque animalia, ut puto, sensum non habent temporis nisi praesentis, ita ut sperare non possint. Itaque misericordia canis vexato mihi iter aëreum fuit iniucundissimum.

Sed tandem aliquando, quattuor horis post, ad insulam nomine "Gran Canaria" advenimus. Uxor ibi in aëroportu nos exspectabat. Catulus autem simulatque capso liberatus uxorem meam conspexit, caudam (Schwanz) laete movit et dolores animi inclusione captos re vera superavisse visus est. Quam beati tum fuimus, uxor, canis et ego!

Sequentibus diebus plerumque in litore versabamur, cum catulo scilicet, ambulantes. Litus illud planum et gratisime harenosum longitudine patet V kilometros circiter et plenum erat viatorum, qui ad aquas maris venerant,

praecipue Germanonrum. Multitudo ingens, numero, ut aestimabam, ad quinque milia, per totum diem secundum litus ambulabat omnesque nobis obviam venientes mirabantur nostri catuli deformitatem ut raro vel numquam visam, plurimi comiter subridentes, pauci foeditate eius indignati. Sed fuerunt etiam, neque tam pauci, qui subitaneo amore catuli moverentur laudantes eius suavitatem et paene discedere nequirent. Sed aliquando medio in litore et paulo post meridiem accidit, ut catulus inter multitudinem ambulantium cacaret (cacare = scheissen), quem casum nos impedire nequivimus, cum alio loco cacandi facultas esset nulla. Pulchrum bene formatum cunum (Kegel) deposuerat. Tum vir Germanus aliquis obviam veniens cuno viso indignatus et acerbatus me porcum nominavit. "Porcus es", exclamavit, "qui canem tuum in litore cacare sinas." Quod verbum acre me non intellegere simulavi, sicut vir ille Germanus putaret me sermonis Germanici esse ignarum et porro impias voces iactans discederet. Ego autem, mala conscientia vexatus, mihi ipsi dixi: "Ira viri illius comprehendi potest, sed quo modo impedire potuissem canem, ne cacaret? Non potui. Etenim canes cacant, ubicumque et quandocumque eis cacandi est necessitas. Praeterea cunus merdae (Scheisskegel) in amplo litore depositus tam gravis casus non est, ut dominus canis porcus debeat appellari. Cunus ille enim mox harena tegitur. Altera ex parte sane confiteor cunum merdae, quamvis harena tectum, ad talum proximi transeuntis, qui pedem illic ponat, iniucunde haesurum, imprimis hominis Germani, qui, ut statui, magno sit pondere corporis, ita ut, cum pedem ibi posuerit, sine dubio cunum ex harena exprimat atque affigat ad talum suum. Quod factum ex intimo corde doleo, sed doleo quoque me iniuste Porcum esse nominatum.

Emanuel Bernard



SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

Praeteritorum seminariis Latinis annorum magno successu coronatis et hoc anno nostro 1985^o eiusmodi seminaria suscipientur tempore aestivo autumnalique. Haec sunt Selestadiense, quod est iis reservatum, qui iam unum vel complura participaverunt, Bottropiense, Vestendense more solito.

Addetur illis autem SEMINARIUM HELVETICUM, quod erit inter diem 29um mensis Septembris et 5um mensis Octobris in vi-co parvulo, sed amoenissimo situ praedito, qui Morschach vocatur at-que situs est supra lacum Quattuor Pagorum (Vierwaldstättersee). Ad id seminarium imprimis ii invitantur, qui adhuc nondum Latine loqui ausi sunt, sed ardore loquendi capiuntur (scilicet etiam "leporis veteres" - ut nos dicere solemus - consalutabuntur!)

In ipso seminario non modo Latinitas viva excellentissime exercebitur, sed etiam hilaritas sodalitasque inter participantes undique convocatos variisque professionibus fungentes coletur optime moderante et exercitationes et gaudia Patre Caelesti Eichenseer, viro linguae Latinae modernae longe peritissimo.

Quid nunc, care lector, Tibi erit faciendum, si Te interfore statueris?

Primum Tibi solvendae erunt 120 marcae Germanicae occidentales, quas mittas velim ad: VOX LATINA
18353 - 661
Postgiroamt
Saarbrücken / BR Deutschland

Eam pecuniae summam pro ipsa institutione solvi oportet, non pro habitatione et pernoctatione! In solvendo Tibi indicandum erit, cui seminario interesse velis.

Deinde epistulam vel chartam interrogatoriam mittas quaeso ad alter-utram ex inscriptionibus infra indicatis usque ad Kalendas Iulias:

| | |
|-----------------------|---------------------|
| Martin Meier | Erika Roth |
| Nassegasse 14 | Aeschistrasse 6 |
| CH - 3302 Moosseedorf | CH - 3110 Münsingen |

Pro habitatione et pernoctatione Tibi ipso in hospitio nostro, i.e. in "Domo Sancti Antoni(i)" prope vicum nomine Morschach sita, circiter 50 franci Helvetici cottidie solvendi erunt.

Sperandum est in seminario nostro Helvetico multos Helveticos linguam Latinam amantes adfuturos esse et discipulos et magistros ceterisque professionibus studentes.

Martin Meier
Erika Roth
Hans-Ueli Gubser

Hilaria ecclesiastica et sacerdotalia pars 2

Rodolphus mane expergefavit liberos suos verbis his: "Surgite, pueri, lavamini ac orate cito "Pater noster"! Postea enim vicino nostro mala subducamus!"

Petrulus parochus aliquid dicere iubetur. "Humane te geras velim", mater monet, "ac parochus portam reserante dicas 'Laudetur Iesus Christus!'"

Reversus et a matre interrogatus, num humanus fuerit, respondet: "Sic! Sed cum parochus non adesset eiusque ancilla portam reseraret, ego salutavi 'Ave, Maria!'"

In schola Dora parva e magistra quaerit, num Deus aegrotet. Magistra valde mirata, unde eiusmodi esset quaestio, Dora: "Mater mea heri in commentariis diurnis legit Deum doctorem Zemp ad se vocavisse."

Magister: "Quis est hypocrites?" Fridericus discipulus: "Mater mea hypocrites est: totum enim per annum pilulas anticonceptivas (1) sumit, nataliciis (2) autem canit: 'Venite, infantes!'"

In doctrina religiosa magister repetere iubet discipulos id, quod audiverunt de polygamia et de monogamia. Ex quibus unus: "Mahometanis multas habere uxores licet, Christianis unam tantum. Quae est monotonia."

"Omnia sacramenta", parochus inquit, "a Deo ipso instituta sunt. Quibus verbis sacramentum coniugale instituit?" Evula cunctans: "Inimicitiam ponam inter te et mulierem!"

Duae puellulae colloquuntur: "Credisne tu esse diabolum?" - "Nullo modo, nequaquam credo, Diabolus simili modo ac sanctus Nicolaus pater est!"

Duo sacerdotes conveniunt in litus maritimum. Tum alter alteri: "Nunc", inquit, "ambulatum eo in mare." Siccus reversus, num etiam ambulare velit, collegam interrogat. Alter quoque conatus humidus madidusque redit. Tum primus: "Fides tua magna est, sed sudas non animadvertisti."


Calvinum Coolidge (1872-1933), praesidentem Civitatum Unitarum Americanarum annis 1923-1929, qui et pecuniae et verbis magnopere pepercisse fertur, uxor die dominico quodam interrogavit, utrum homilia, quam audivisset, bona fuisset necne. Coolidge "Hm" respondentem uxor iterum adfata est: "Qua de re parochus praedicavit?" - "De peccato." - "Quid autem de peccato locutus est?" - "Vituperavit."

Christianus Caminada, qui non modo episcopus Curiae apud Rhaetos, sed etiam ethnologus clarissimus ac scriptor rerum erat, olim per montes migrans, ut colligeret carmina popularia, puerum bubulcum invenit, cuius vestitus egeni eum miserebat. "Quanti tuum praemium pecoris pascendi est, mi puer?" Illi parvula nummorum summa dicta "Parum est", inquit. "Et ego pastor sum, sed praemium meum multo maius est quam tuum." Tunc puer: "Certe igitur tibi multo plura pecora pascenda sunt quam mihi, mi domine!"

Idem episcopus Caminada die quodam ab alumno aliquo gymnasii interrogatus, quo modo reapse et re vera credi possent, quaecumque essent in Scriptura Sancta, dixisse narratur: "Falso interrogasti, mi puer! Hoc enim non pertinet ad facultatem credendi, sed ad voluntatem!"

- (1) pilula anticonceptiva, -ae, f Antibabypille, pilule contraceptive, contraceptive pill
(2) natalicia, -orum, n Weihnacht, Noel, Christmas

Martinus Meier



QUIS OPTIME RIDET?

Cari legentes, hodie vos fabula faceta lepidaque delectare velim. Quae cum eventum non verum narret, tamen mihi nuper in aliqua caupona Turici poculanti a nescio quo conviva ita narrata est:

Olim duo e septem summis magistratibus Helveticis, quos "Bundesräte" appellamus, iter fecerunt in terram Arabem, cuius principes oleo prouendo totique orbi terrarum vendendo sibi maximas divitias paraverunt et adhuc parant.

Ubi illuc advenerunt, nostri duo magistratus, quorum alteri nomen Leo Schlumpf, alteri nomen Curtius Furgler, mensa epulis delectissimis parata accepti sunt. Quam ad mensam accumbentes animadverterunt multa instrumenta ad cibos ori adducendos idonea, cuncta auro puro confecta: furcellas, cultellos, pocula aurea vitreaque, omnia ut stellae clarae lucentia. Quae duobus advenis Helveticis ita placebant, ut unum vel aliud eorum clam nullo hospite Arabi suspicante rapere et post iter confectum domum portare studerent.

Itaque primus Leo Schlumpf, dum omnes convivae cibis propositis fruuntur, parvam furcellam auream maximam curam adhibens clam e manu in bracchium vestis suae dextrum induxit. Quod facinus autem nemo circumsedentium animadver- tit praeter eius collegam Curtium Furglerum. Qui collegae haud parum invidens idem facere conatus est, sed eum - heus! - Fortuna reliquisse videbatur; furcella enim, cum vesti introducere vellet, poculum in mensa positum tangens effecit sonitum clarum per totam mensam auditum, quo omnes, qui aderant, oculos in magistratum iam aliqua mala conscientia vexatum et caput erubescens verterunt quaerentes, quid egisset. Curtius Furgler autem, cum iam totum os pudore rubricoloratum monstraret, periculum suspicionis imminens eleganter effugit simulans se orationem poculo tacto initurum: Surrexit, hospites Arabes magna voce ut amicos salutavit non modo, ut dicebat, nomine ipsius et collegae, sed etiam nomine totius populi Helvetici, qui in patria multis milibus chiliometris ab Arabibus distante nihil aliud curaret nisi valetudinem salutemque amicorum Arabum, qui, ut sperandum esset, oleum suum e terra prolatum productumque etiam futuris temporibus semper minimo pretio venderent.

Oratione magno applausu honorata finita resedit. Tum cenare pergenti Leo Schlumpf, qui vicinus cenaret, in aurem "Optime loqui scis, collega mi," susurravit, "manibus uti nescis."


Ad quae Curtius, quamquam iis irascebatur, nil respondit. Sed animo offensus illam furcellam nunc maiore sollertia abigere studebat. Ubi eam post breve tempus iterum vesti suae introducere conatus est, ei - hercle! - idem malum denuo contigit: Iterum poculum aliquo motu rudi furcella tetigit, iterum - nunc quidem aegrius ferens et eo iratior - dissimulare coactus. Ingenio eius (Helvetiis sane noto praeclarissimoque!) nunc facinus dissimulare contigit novo dolo utenti: Eandem orationem enim, quam primum habuerat, nunc ipse nullum lapsum linguae committens idiomate Arabi protulit (quod didicerat paucis diebus ante quam iter inierat), quo, ut dicebat, et ipsi hospites Arabes linguae Helveticorum imperiti melius intellegerent, quae oratione prima habita expressisset. Cum et haec eius verba ab audientibus magno applausu laudata essent, tamen molestia et ira ei a Leone Schlumpf illatae diminutae non sunt; videbat enim Curtius Furgler collegam semper ridere, semper et prius et novissimum malum suum oculis distortis illudere. Qua ex causa nunc Leoni malefico iratus in aurem "En iam tibi demonstrabo", susurravit, "quo modo superbiam, insolentiam inimicitiamque tuam puniam, malesalse, nec tibi diu exspectandum erit!"

Quod cum dixisset, repente surrexit tertium; poculum furcella - nunc quidem consulto - ter quaterque pulsavit, ut omnes audirent, quid dicturus esset. Tum magna voce "Nunc denique vobis, cari hospites Arabes", clamavit "exemplum dabo artis mirae Helveticae, quam adhuc nondum vidistis! Vertite oculos in me! Videtisne hanc furcellam, quam manu teneo? Quam nunc bracchio sinistro vestis meae inseram...." Ubi ante oculos omnium ita fecit, se ad Leonem Schlumpf stupentem vertit et "Eandem furcellam" inquit "nunc e bracchio dextro vestis collegae traham!" Fecit in verbo; ita hospites nullius mali suspiciosos et facto gaudentes, collegam Leonem Schlumpf autem stupefactum reliquit.

Fabula - cum non sit vera - docet ultimum ridentem esse optime ridentem, secundum illud apud Helvetios pernotum, quod Teodisce dicit: "Wer zuletzt lacht, lacht am bestem."

Valete!

Udalricus Aeschlimann



Aenigma

1. pontos
2. agrum colens
3. bestias virides in paludibus vitam agentes
4. vacuo
5. nummus Romanus (Gen.sg.)

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| 2 | | | | |
| 3 | | | | |
| 4 | | | | |
| 5 | | | | |



Cantus Christianus

Alleluia nunc canamus

(Alleluja lasst uns singen)

Alleluia nunc canamus,
 adest dies lucifer!
 Aëra his expleamus,
 quae confecit viviger!
 Iesus mortem superavit
 et victoriam paravit.
 Alleluia, vivus est,
 vivus est, vivus est,
 alleluia, vivus est!

Alleluia, resurrexit
 aevi huius gaudium,
 nam, qui mortem non conspexit,

ibit nunc in saeculum.
 Morti esse quae videntur,
 propter Christum renascentur.
 Alleluia, vivus est....

Alleluia, ecce, gentes,
 pastor vobis providens
 campos semper et florentes
 fidus vobis offerens!
 Is salutem est daturus,
 mortem qui ese devicturus.
 Alleluia, vivus est....

Alleluja lasst uns singen,
 denn die Freudenzeit ist da!
 Hoch in Lüften lasst erklingen,
 was im dunklen Grab geschah!
 Jesus hat den Tod bezwungen
 und hat uns allen Sieg errungen.
 Alleluja, Jesus lebt,
 Jesus lebt, Jesus lebt,
 Alleluja, Jesus lebt!

Alleluja, auferstanden
 ist die Freude dieser Zeit,
 denn aus Leiden, Schmerz und
 Banden

geht hervor die Herrlichkeit.
 Was im Tode scheint verloren,
 wird in Christus neu geboren.
 Alleluja, Jesus lebt.....

Alleluja, kommt, ihr Völker,
 schaut den Hirten, der euch nährt!
 Ewig grünen seine Weiden,
 ewig Seine Treue währt!
 Nur bei Ihm ist Heil zu finden,
 der den Tod hilft überwinden.
 Alleluja, Jesus lebt.....

Versio Latina: Martinus Meier

SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 1+2/85 proposuimus, hic demonstrantur:

| | | | |
|----------------|----------------|----------------|----------------|
| ¹ B | ² E | ³ N | ⁴ E |
| ² E | R | A | M |
| ³ N | A | R | A |
| ⁴ E | M | A | X |



QUOT MULIERES, TOT OPPEXUS

Oppexuum femineorum peritus rudibus praeteritos ornatus brevissime enarro. Constat Romanas matronas libentissime exhibuisse capillos in cervicibus collectos et taeniis vittisque adstrictos; saepe, aetate Caesarea, etiam ostendisse in capitis vertice cincinnorum struem erectae turris instar. Mulieres Barbarorum contra consertis capillis delectabantur libere iuxta latera, persaepe ad genua defluentibus. Per multa saecula Aevo Medio crines utrimque contexti aut redimiculis velati viguerunt. Sed iam XIII^o et XIV^o saeculo puellae sicut hodierno more caesariem in terga irreligatam gerebant.


Longe renovatarum artium aetate (videlicet XV^o saeculo) alii comarum ornatus fuerunt. Crines, quam diligentissime dispositi, in cervicibus cogebantur innumeris ornamentis et margaritarum lineis et auratis reticulis adornati. Comarum moles flava reddita patebat vel excelsis calauticis

tegebatur. "Hennin" dixerunt turbinatum tegmen a quo velamen delabens humum radebat. Post annum MDLum in morem venit oppexus 'lunatus' et cordi similis: in media fronte eminebat acumen, cum tempora omnino nudarentur, sed capilli posteriores elegantissimo cucullo celabantur. Saeculo XVII^o coma quam artificiosissime crispata viguit: cincinnorum coronae ad genas vergentes et antliae et caproneae anguiculos et gradus et undas simulabant. Comae autem altitudo tolerabilis videbatur. At saeculo exeunte viguit excelsum fastigium quod structura magna frontem umbrabat ('fontange' Francogallici nuncupaverunt).

Post annum MDCCXVIIum ad medium saeculum denuo placuerunt oppexus humiles et capillus, blande reductus, in occipite ligabatur nitidissimo nodo qui 'catogan' appellatus est. Attamen medio saeculo XVIII^o morosa orta est consuetudo capilli turriti sublimiusque prominentis, sive 'pouf': magnifica capillamenta amplis voluminibus caput augebant, cui superponebantur florum pomorumque canistra ficta parvulaeque naves et quodlibet iuvabat. Hunc ridiculum cultum novissimae res quae evenerunt in Gallia anno MDCCCLXXXIX^o abstulerunt. Paucos per annos aetate Neoclassica mulieres imitatae sunt Graecum 'corymbum' sive "Apollinis nodum", deinde Romanticismus suavem languidumque oppexum vulgavit: capilli, discrimine in media fronte bipértiti, retrorsum adducebantur ibique torulo affabre facto ligabantur, dum trini et magni cincinni in genas cadunt. Exeunte saeculo XIX^o obsolescunt cincinni, fit iterum alta coma.

Oppexuum exemplaria

- I. Coma in spiras compta (matrona Romana)
- II. Coma in promissos nexus formata (puella Germanica)
- III. Dissoluti crines (saeculo XIV^o)
- IV. Torulus (Renatarum artium aetate)
- V. Oppexus 'lunatus' (summo XVI saeculo)
- VI. Oppexus barocus (saeculo XVII^o)
- VII. Coma praealta artificioseque referta (saeculo XVIII^o)
- VIII. Oppexus romanticus (saeculo XIX^o)
- IX. Oppexus 'virilis' (anno MCMXXIV^o)
- X. "Cauda equina" (puella aetatis nostrae)



Prius bellum internationale impellit mulieres, quaecumque est aetas, ad comas exsecandas: nascitur mutatio summa. Ab anno MCMXX^o ad MCMXXXum metra super metra capillorum in tonstrinarum pavimentis iacent. O mirum! In omnibus rebus mulieres viriles mores fingunt, masculinas iaccillas induunt ('tailleurs' vocatas), breves faciunt gunnas, fumificant, nec fluentes comae iam congruunt mulierum novis partibus: en puella 'masculina' ('garçonne'), quae cervices, aures, frontes ostendit nudatas. Deinde iterum vigent longiores capilli: in undas compositi aut leniter crispati ("crispationem permanentem" hunc ornatum vocaverunt) aut in fronte auribusque demissi. Iterum pleraeque mulieres nodum posteriorem malunt, qui vulgo 'chignon' dicitur, et cirrum quasi cristam in media fronte eminentem. Circiter annum MCMLXVum caesaries subito fit longissima, dum gunna minima brevissimaque apparet: coma accurate explanata in tergum cadit et latera. Eas, quae promissa caesarie carent, summe empti capilli optimeque confecti iuvant. Sunt quae, praesertim inter puellas, "caudam equinam" fluitantem

praeferant aut rotundum venustumque oppexum geometricae comptum (Italice 'caschetto'); melius autem quadrant matronis inflatae lateque patulae comae alligatorio liquore (sive 'gel') retentae.

Nupperrime etiam viguit capillus artissime cincinnatus. Promissi et breves vicissim placent crines, sed singulae mulieres ingeniis voluntatibusque suis plerumque obsequuntur, dum oppexum universe vulgatum tenere conantur: anno praeterito nimium fuit studium capillos tondendi iterumque mulier imaginem 'virilem' praebuit: sed profecto, quamvis tarde gradatimque, mensibus qui sequentur comis aequa erit longitudo.

Florindo Di Monaco

PS

OMNES LEGENTES, QVAE PLVRA COGNOSCERE VELINT DE PRAETERITIS COMAE ORNATIBUS QVAESITA AD HANC INSCRIPTIONEM MITTENT:

Prof. Florindo Di Monaco

Via Michele Monaco 152

I-81054 San Prisco (Caserta)

Italia



Facete lepideque dicta

Voltarius de medicis

Franciscus Maria Aruetius Voltarius (François Marie Arouet Voltaire, 1694-1778) de medicis ita iudicavit: "Medici revera homines sunt, qui medicamenta, quae nesciunt, in corpora inferunt, quae etiam multo minus sciunt!"

* * * * *

Confessio pictoris singularis

Petrus Augustus Raginwardus (Pierre Auguste Renoir, 1841-1919), qui tum longe ceteris pictoribus Francogallicis singulariter excellere existimabatur, anno 1911^o, iam 70 annos natus, a relatore seu notitiarum aucipe commentarii periodici Parisiensi interrogatus, quid esset summum propositum quod sequi in mente haberet, "Egomet", inquit, "hoc solum propositum per omnem vitam semper sequi in mente habui et hodie nunc habeo: pingere posse perfecte albam mappulam!"

* * * * *

Elephas fortasse nimis fum(ific)avit

Emptor: An malleoli clavicymbali illius re et veritate ex ebore genuino sunt facti?

Venditor: Ita est, bone vir!

Emptor: Verum attamen, tonitrua fulminaue, malleoli illi sunt tanto fulvo colore!

Venditor: Potest fieri, bone vir, noam elephas ille fortasse nimis fum(ific)avit!

* * * * *

Amor secundo adspectu

Altera: Tres annos abhinc vidi Petrum et extemp(u)lo fuit amor secundo adspectu!

Altera: Rem obscuram esse puto, quare secundo et non primo adspectu?

Altera: Illo autem tempore non iam novi neque facultatem (Vermögen) neque computum mensarium (Bankkonto) eius!

* * * * *

Quod maxime dolendum est

Altera: Id certe quidem maxime dolendum est, quod primus coniu(n)x tuus iam tam mature decessit!

Altera: Ita enimvero, id etiam coniu(n)x secundus meus omni die mihi dicit!

* * * * *

Causa vera

Alter: Qua de causa theatrum nunc est clausum?

Alter: Mortis subitae causa!

Alter: Quid ita, estne actor scaenicus fortasse mortuus?

Alter: Neutiquam, sed ultimus spectator!

* * * * *

In discotheca seu discothermopolio

Alter: Veniam abs Te peto, sodalis, sed puella in tabula illic speciem habet reapse sororis Tuae!

Alter: Potest fieri, sodalis, sed est frater meus!

* * * * *

Ubinam inveniri potest?

Alter: Ubinam gentium inveniri potest fortuna et hilaritas?

Alter: In indice verborum (vocabulario, lexico) dumtaxat!

* * * * *

In conspectu cuius viri?

Alter: In conspectu cuius viri omnes homines prompto animo aperiunt caput?

Alter: In conspectu tonsoris!

* * * * *

Iam audivisti?

Alter: Iamne id audivisti?

Alter: Neutiquam!

Alter: Sed audivi egomet Te id iam audivisse!

* * * * *

Quorsum igitur?

Mater: Dedistine, Claudia filia, iam novam aquam piscibus in piscina?

Filia: Quorsum igitur, veterem non iam ebiberunt!

AMICUS

CANTICUM VERNUM

Viridans ver venuste venisti.
Tandem tristitiam meam trivisti.
Hiberni temporis terror effugit.
Sol nunc splendorem effundit.

Cor meum, adhuc quid maeres?
Mersum profunde rerum in fluctu
quid quaeris? Quousque haeres
plorans in umbra et luctu?

Rigida, frigida anima stulta,
surge, exsurge, jubilanter exsulta!
Iterum, donec renascitur mundus,
ridet et tibi annus secundus.

Johannes A. Gaertner

possunt, quia ipsorum rebus defendendis nimis caecati sunt. Exempli gratia autocinetorum fabri vehementissime negant autocinetis esse culpam silvarum morientium.

Nihilo minus hominem ingeniumque humanum originem esse naturae pereuntis neminem iam effugit. Res ab homine inventae non prosunt tantum, sed plerumque et obsunt, at homines lucrum atque luxuriam colere quam animalibus ceteris parcere malentes incommoda inventionum suarum non videbunt nisi extrema calamitate quadam, velut vicis propter silvas non iam protegentes labinis nivalibus (1) deletis, coacti.

Sed non bestiis plantisque tantum, sed et homini ipsi homo timendus est: Quis vestrum, ut exemplo utar, nesciat numerum magnum nec tolerabilem infantium nondum natorum quotannis necatorum? Variis de causis, quarum sunt aliae aliis excusabiliores, sed nullae tolerabiles neque tolerandae, infantibus abortus infertur (2), velut ac si materia qualibet constarent. At sunt homines a primo die vitae, i.e. a conceptu, neque ulla causa mihi nota est, qua leges humanae hominem interfici patiantur nisi cum vita alicuius flagranter appetatur. Sed inter homines qui sunt innocentiores ac culpa vacantiores quam parvuli nostri infantes? Nisi nobis licet homines, quamvis sint nefarii atque scelesti, capitis damnare, eo magis vetamur vitam innocentis cuiuslibet extinguere!

Sunt, qui illam sententiam repugnent verbis his: "Infantibus haud paucis mors cita multo praestat vita infelici et incerta. Multi nascentes miseriae destituuntur, multi defectu quodam vel corporis vel mentis vitam homine non dignam degere coguntur. Nonnullis mulieribus scelesti vi infans imponitur, nonnullarum minoris aetatis puellarum vita partu deletur vel perturbatur. Humanum ergo est abortum non iam lege puniri."

Ad quae dicenda sunt haec: Etiam homines iam nati, pueri, adulti senesque permulti in miseria vivunt, neque vero fas est eos sanandi causa interficere, multi defectibus variorum generum laborant, sed non nostrum est seiungere vitam "dignam" ab "indigna", nisi illabi volumus in istam barbariam, quae regnabat annis 1933-1945 in Germania. Quam

De morte silvarum hominumque

Quaecumque aperueris acta diurna lecturus, quamcumque videris emissionem televisificam vel audiveris radiophonikum programma, ubique certior fies de morte sive interitu silvarum nostrarum. Quae sint causae istius perniciose, unde fiat tanta calamitas, ne periti quidem homines dicere

pauper mundus "perfectus" esset, in quo homines defectibus affecti vivere vetarentur! Vita quoque vi imposita nil aliud est nisi vita humana, quam tolli nullo modo licet. Si quae mulieres puellaeve difficultatibus inciderint partu edentes, infans ita natus adoptioni tradatur; plurimi adulti infantem exoptantes vel gignere vel parere non possunt!

Ut ad finem vergam: Quantascumque et quotcumque causas infantes nondum natos necandi protuleris, nulla sat magna erit, ut hominis interemptionem probet!

Sic abortus propagatoribus nil remanet nisi argumentum hoc stultissimum: "Infans nondum natus non est homo!" Sed quid, o sophistae callidissimi, aliud est? An simia? An bos? An piscis? Sicut ex nucleo mali nil aliud crescet nisi malus, ex ovo gallinaceo nil nisi gallus gallinave, sic e spermate quoque et cellula ovulari (3) nil aliud nisi homo gignetur. His cognitis cur aliquid intersit inter necem nati et nondum nati?

Christianis, qui sunt inter vos, cari lectores, hae meae sententiae apparent, cum Christus dominus noster nos et creatorem et creaturam diligenter colere et amare iusserit. At si forte inter amicos nostros sunt, qui non Christianae religioni inhaereant, quos saltem antiquas aetates amare opiner, sciant iam Hippocratem, medicum illum apud Graecos antiquos clarissimum, suo iure iurando Hippocratico abortum acribus verbis vituperasse ac repugnasse.

- (1) labina nivalis, -ae, -is f. Lawine
- (2) abortum inferre + Dat. abtreiben
- (3) cellula ovularis, -ae, -is f. Eizelle

Martinus Meier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3 + 4 / 85

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 52